


QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANÉ DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis decimâ quartâ Novembris 1709.

M. LUDOVICO DEMONDIERS DUGUÉ,

DOCTORE MEDICO,

PRÆSIDE.

An Dysentericis affectibus sanguinis missio?

I.



ATURA paucis contenta, longè plura expetit corpus humanum, quàm quæ ipsi sint satis: hinc tanta fit supervacaneorum evacuatio, ut si sanctorio fides, sex decies uberior per insensiles cutis meatus fiat decessio, quàm per alias quasvis patentes vias; quæ tamen sat magnam excrementorum fundunt copiam: excretio quælibet præviam supponit Secretionem; hinc haud ineptè quispiam dixerit, œconomiam naturalem ferè totam in

ſecernendo poſitam. quamvis natura longè plura excernat quam retineat, atque ab excrementorum proventu utcunque prohibito morborum enaſcatur ilias; non minùs tamen in genus humanum ſævit fluidorum, quæ corpus alluunt, immodica ſeu intempeſtiva excretio; ut enim partes ſolidas rore benigno defraudat, cujus defectu contabeſcunt; ſic & ſenſoria ſeu motoria inſtrumenta nativo elatere orbantur. Inter immodicas, quibus concidit corpus, evacuationes, quæque maximam hominum partem è medio tollunt, non infrequens extat alvi fluor: ſtrenuam medici operam expoſtulans.

I I.

FLUORIS alvi ut variæ ſunt differentiæ, ità diſſimilis curatio. Cuivis morbo vel etiam ſymptomati adhibendum remedium. Hoc ſanè futurum eſt irritum, niſi cauſa tùm interna tùm externa priùs ſubmoveatur. Cacochymiam eluit purgatio, plethoræ Phlebotomia rectiùs decernitur: ſi febris adſit, vel inflammatio aut dolor urgeat, Phlebotomiæ locus potior eſſe debet. Fluxus alvi diverſimodè ſe habet: qualiſcunque ſit, tribus generibus comprehenditur. Si nihil ab alvo cibus mutatus dejiciatur λιεντερία audit. Si ſanguis, multiplicem parit Dyſenteriam, nimirùm αἱματηρὸν mutilis familiarem, quam hepaticam dicunt loturæ carnium ſimilem dejectionem & inteſtinalem. Hæc nulli parcet ætati, puerili & ſenili calamitoſiſſima. Quod ſi frequens adſit & liquida cæterorum humorum dejectio, diarrhæa eſt. Eſt & alia in quâ cæteri humores quidem intempeſtivè excernuntur, verùm ſanguine permixti, quàm vulgus Diarrhæam cruentatam vocitat.

I I I.

QUÆ ab affectâ ſede nomen obtinet Dyſenteria, omnium moleſtiſſima eſt, ut quæ cæteras doloris vincat acerbitate, nec ullis cedit periculi magnitudine. Nihil eſt aliud quam ἕλκωσις inteſtinorum nunquam expers doloris, & quæ non rarò inflammationem, ſæpiſſimè febrem inducit. Hæc autem nonnunquam ab externis cauſis, ut pravis alimentis & acribus pharmacis; ſæpiùs ab internis, ut bile acriori, ſucco Pancreatico vel ſalivali acidioribus factis. Utraque contagionis particeps & popularis, maximè vere & Autumno.

IV.

TAM atrocis mali periculum colligitur ex parte affectâ, ulceris magnitudine, humoris indole, & interdùm ab excretis & symptomatis. Ulcus si gracile aliquod intestinum occupet, præsertìm jejunum vix coalescit; idem si crassum penitiùs depascatur, ita ut ἐφελκίδας abjiciat, læthale. Ab atrâ itidem bile si ortum ducat, non minùs quàm occultus Cancer, exitiosum. Quoad symptomata longè gravior est Dysenteria, quæ cibi fastidium inducit, quæ bilis vomitum conjunctum habet, quæ cum febre invadit & perseverat, quæ nascitur ab inflammatione præcordiorum, quæ varia promit proditque excrementa, quæ demùm sequitur abcessum Mesenterii, quamquàm hæc non prorsùs desperanda.

V.

QUÆCUNQUE sanabilis est dysenteria, si quidem intempestivè supprimatur abcessum facit, ejus curandæ initium sumi debet ab humoris peccantis vacuatione; cui scopo non pauca quidem præstantissima suppetunt remedia qualia sunt Rhabarbarum, Myrobalani citrini, Cassia, Electuarium catholicum, aliaque id genus. Cæteris præstat radix Brasiliensis, quæ longâ annorum serie posthabitâ, nuperis tandem iisce annis felicitèr restituta (hypecacuanham dicunt) securiùs præscribitur præmissâ venæ sectione, imprimis si febris adsit, vel inflammatio, dolorque ingens, & corpus Plethoricum, ut quæ non solùm minuat plenitudinem, sed etiam febrem: inflammationem extinguat, dolorem mitiget, bilis impetum reprimat, fluxum denique ipsum cohibeat: eaque sæpiùs magno successu repetenda: quâ præmissâ locus erit commodior purgantibus medicamentis & adstringentibus, Enematis, Epicerasticis, hypnoticis, narcoticis, dolorem sedantibus, balneis contemperantibus, cæterisque medicamentis humoris acrimoniam demulcentibus, tùm crebris alimentis, quæ vires instaurando morbo simul adversentur. Celebratâ quippe venæ sectione; sanguis universas corporis partes liberiùs perlustrando, in varia incernicula suas deponit exuvias; hinc priscam balsamicam indolem induens, partibus quas alluit ductilitatem genuinam impertitur, ac fovet: succus biliosus, tum Pancreaticus amicè coëunt. Fermenta ventriculi sui juris facta, ali-

menta debitè ſubigunt, ſolvunt. Si quod inteſtinis ulcuſculum fuerit inuſtum; à ſucco alibili ſulphureo cicuratur. Sic tota corporis naturalis œconomia ſuæ redditur integritati.

Ergo Dyſentericis affectibus ſanguinis miſſio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Jacobus Tſourneau.

M. Ludovicus Franciſcus du Tal.

M. Michaël Ludovicus Reneaume de la Garanne, è Regiâ Scientiarum Academiâ & Scholarum Profeſſor.

M. Ludovicus Demondiers Dugué, Præſes.

M. Raymundus Jacobus Finot.

M. Claudius Berger, Medicus Regis ordinarius, è Regiâ Scientiarum Academiâ, necnon in horto Regio Chymiæ Profeſſor.

M. Dominicus de Farcy.

M. Claudius Guerin.

M. Ludovicus Morin, Regiæ Scientiarum Academiæ ſocius.

Proponebat Pariſiis HYACINTUS THEODORUS BARON Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1709.

Typis Viduæ Franciſci Muguet, Regis & Facult. Medicinæ Typographi.